DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
GRYPHICA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA
NEC NON ARTE OBSTETRICIA
HONORIBUS
RITE IMPETRANDIS
DIE XIX. MENSIS JUNII ANNI MDCCCXLVIII
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
C. GUILELMUS PRANGE
SAXO - BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
H. SCHMALE, MED. ET CHIR. CAND.
M. SCHULTZE, MED. ET CHIR. CAND.
L. HOFFBAUER, MED. ET CHIR. CAND.

GRYPHIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

FRIDERICO GUILELMO PRANGE

MINISTRO VERBI DIVINI APUD PETRINOS ISLEBIAE,
SODALI SOCIETATIS HISTORICO-THEOLOGICAE
LIPSIENSIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRAS ESSE VULT

FILIUS.

De chlorosi in universum.

Chlorosis — febris alba, amatoria, morbus pallidus, virgineus, icterus albus, Bleichsucht — nomen ducit a graeco χλωρὸς, quod significat colorem e pallido in viridem vergentem [1]. Neque vero approbandum mihi videtur, quod W. Grimm [2] voluit, ut pro chlorosi nomine ochrosi utamur a graeco ὤχρὸς quod significat colorem pallidum, quoniam color pallidus in aliis quoque morbis, color virescens autem, quem chlorosis indicat, in hoc tantummodo morbo obviam venit.

Utrum veteres medici chlorosin noverint necne non satis constat. Ita P. Franck [3] chlorosin non prius quam saeculo XVI ad specifici morbi formam evectam esse dicit adjicitque, primum hujus nominis auctorem vulgus fuisse, quod principalem morbi characterem a colore faciei

1) Kraus, kritisch-etymologisches medicinisches Lexicon, p. 226. Göttingen 1844.

2) W. Grimm, Die Bleichsucht in ihrem ganzen Umfange wissenschaftlich bearbeitet. Leipzig 1840.

3) P. Franck, De curandis hominum morbis epitome. Lib. VI., ordo IV.

petiisset. Tamen vero Hippocrates [4]), Galenus [5]) in operibus suis hujus morbi mentionem faciunt, etsi nomen chlorosin non appellant, verum etium status morbosos chlorosi haud absimiles commemorant. Etiam Arabes morbum cognovisse videntur et Avicenna [6]) nomen Illiscitis et febris amatoriae ei imposuit. Complures auctores saeculo XVI exstiterunt, ut Joh. Lange, Rodericus a Castro [7]), qui chlorosin ut sui generis morbum tractare coeperunt. Sub finem saeculi XVII praecipue fuerunt Mappius, Alen, Stupanus, Bernhardi, Glaser. Accedunt saeculo XVIII Belmann, Zaff, Fr. Hoffmann, Cordey, Kugelmann, Stoll. Denique nostra aetate Brandes, Herz, Ballard, Lucas, Valée aliique appellandi sunt, quorum in singulis dissentatiunculae capitibus mentionem faciam.

Est autem chlorosis morbus cachecticus, tantummodo chronicus et sexui sequiori pubertatis aetate proprius. Fundamenta tamen quibus morbus conformatus symptomata sua exhibere valet, constant in sanguinis penuria ejusque conditione serosa et vitalitate imminuta pariter ac in nervorum praecipue trophicorum alienatione quibus lienis quaedam affectio primaria sive secundaria accedit, nec non in systematis sexualis vitalitate anomala, quae plerumque in menstruatione retenta cernitur. At chloro-

4) De internis affectionibus. Cap. 53. (ex edit. v. d. Linden 1665.)
5) De causis symptomatum. Lib. I., cap. 1.
6) Kurt Sprengel, Versuch einer prakt. Geschichte der Arzneikunde. Halle 1823. Thl. 2., S. 432.
7) Specielle Pathologie u. Therapie. Erlangen 1843. Bd. I., p. 38.

sis illa virorum, quam nostra aetate praecipue S. Fox[8]) statuere voluit, anaemiae quaedam forma est nostro quidem morbo similis, neque tamen exhibet symptomata chlorosi virginum propria neque iisdem gignitur causis[9]).

Symptomatologia.

Essentiale chloroseos symptoma color cutis depravatus est, pallor imprimis faciei, ut inde nomen acceperit. Hicce pallor autem nonnunquam omnino niveus est, interdum tamen ad colorem cinereum, viridem, coeruleum, flavum vergit. Oculi saepius annulo livido circumdati sunt et palpebrae nonnunquam tumescunt. Labia, etiam gingiva, lingua non eum praebent ruborem, quem apud sanos invenimus, sed pallidae aut lividae sunt. Pendet autem iste pallor partim a cruoris sanguinisque ipsius penuria partim a vasis cutis relaxatis, quae sanguinem amplius propellere non valent[10]). Interdum quidem aegrotae faciem habent floridam et rubicundam, qui tamen rubor minime sanus est.

Habitum deinde aegrotae prae se ferunt tumescentem aut maciem usque ad tabem et hydropem incipien-

---

8) Beobachtungen über die mit dem Namen Bleichsucht bezeichnete Störung der gesammten Gesundheit des Weibes und Beweis, dass deren Ursache vom Geschlechte durchaus unabhängig ist (übersetzt von Dr. R. Ch. Gross, Leipzig 1841).

9) Berndt in praelectionibus.

10) L. J. C. Mende, Die Geschlechtskrankheiten des Weibes, Göttingen 1831. Th. I., p. 366.

tem. Magna igitur corporis debilitas et laxitas musculorum cernitur, ita ut omni tono careant et levissimum quemque motum aegrotae libenter recusent. Ungues fiunt fragiles, capilli facillime evelli possunt et canescunt, cuius rei Marshall Hall [11]) et Richelot [12]) afferunt exempla. Rarissime autem haec corporis debilitas ex complicatione morbi cum myelitide chronica, id quod anonymus [13]) quidam nostra aetate voluit, sed ex perversa musculorum nervorumque nutritione in chlorosi originem ducit.

Jam accedunt laesiones variae in functione cordis et vasorum. Pulsus est parvus, debilis, interdum intermittens, plerumque autem valde variabilis; conquiescentibus puellis saepissime invenitur rarus, interdiu levissima quaque corporis actione acceleratur. Palpitationes cordis, animi deliquia, syncopae, vertigines aegrotas saepius aggrediuntur, genas nunc pallor subito intrat, nunc rubor rosaceus circumdat. Haud raro sanguinis cursus levissimo quoque corporis motu acceleratus in regione cordis auctam temperaturam profert. Signum pathognomicum vero strepitus cordis et arteriarum — bruit de diable, Nonnengeräusch — nominatur, qui primum a Bouillaud descriptus aut susurrationem aut strepitum fallis aemulatur et in vasis magnis, in carotidibus, subclaviis, femo-

---

11) Marshall Hall, in Encyclopaedie etc. Bd. I. S. 405.

12) Grauwerden der Haare. Von Richelot. Société médico-practique de Paris, séance du 28. Oct. 1844.

13) Dr. Canstatt und Dr. Eisenmann, Jahresbericht über Fortschritte in der Heilkunde. Erlangen 1846. Bd. III. p. 197.

ralibus auditur. Skoda eum vibratione parietum arteriarum cordis systole exorta effici judicat. Forsan tamen minuta resistentia parietum arteriarum et fluxus sanguinis debilior, quo major frictio sanguinis in parietes oritur, causa hujus strepitus est, id quod eo jam elucet, quod, si resistentia arteriarum pressione augetur, hicce strepitus aut minuitur aut omnino evanescit (cf. Canst. l. c. p. 32). Sunt autem illi strepitus arteriis neque vero venis tribuendi, ut nuper experimentis institutis demonstratum [14]) atque secundum Marsh [15]) in iis gignendis sanguinis serositas minus valet quam nervorum mutata actio et animi perturbationes. Schoenlein [16]) vero auscultatione et percussione ullam commutationem nostro in morbo cognosci negat.

Systema nervorum deinde plus minusve, prius posteriusve in sympathiam venit. Sensibilitas vel major vel minor apparet. Animus chloroticarum plerumque depressus ad melancholiam inclinat; saepius aegrota corripitur anxietate, solitudinem quaerit, haud raro hallucinationibus et imaginationibus fixis die noctuque vexatur; magnus ad dormiendum nisus accedit, somnus ipse vero in-

---

14) Sur les bruits de souffles dans la chlorose. Séance de la société de Méd. de Paris du 17. Avril et 8. Mai. Revue méd. p. 296 seq.

15) Remarks on chlorosis and Haemorrhage. The Dublin. Journal of m. sc. 3. Quart.

16) Allg. u. spec. Therapie, nach dessen Vorlesungen niedergeschrieben und herausgegeben von einigen seiner Zuhörer St. Gallen 1841. Thl. II., p. 55.

quietus est. Puellas non solum omnia genera spasmorum hystericorum aggrediuntur, uti constrictiones faucium, globus hystericus, subsultus tendinum, fletus et visus spasticus, convulsiones aliaque hystericis symptomata simillima, uti dolores in ramis nervi quinti, cephalalgia, hemicrania, susurrus in auribus, hebetudo visus eas invadunt, sed etiam tetanus, chorea St. Viti, epilepsia, nymphomania adspiciuntur. Atque hi omnes nervorum affectus partim ex nervorum abdominis et uteri alienatione partim ex sanguinis penuria ejusque nimia serositate originem ducunt, quia hoc modo inter nervos et sanguinem mutuus nexus perversus est neque nervi nutritione necessaria carentes normaliter functioni suae praeesse valent.

Respiratio plerumque est tarda, difficilis et cum corpus movetur aut scalae vel montes adscenduntur, anhelosa, cum angore quodam conjuncta, quisque animi affectus aegrotantes incitat, ut suspirent, qua propter Schoenlein non dyspnoeam adesse ait, sed apnoeam et hanc respirandi difficultatem asthmati nervoso accensendam esse.

Systema digestionis et reproductionis maxime affectum est. Ciborum appetitus ob vitiosam crasin serosam plerumque imminutus est, interdum vero perversus (malacia vel pica illa chlorotica), ita ut res absurdas aegrotae appetant, calcem, cretam, carbones, terram etc.; gustus plerumque amarus, fatuus, saepe salinus, sitis interdum deficit. Lingua est impura, tegumento albito seu bruneo obtecta; nausea, ructus foetidi, vomituritiones, etiam vomitus vel ciborum ingestorum vel muci

aquosi, male sapientis, interdum cum bili commixti, ipsa cardialgia, quae fere nunquam abest, helminthiasis exstant. Intestina sordibus et flabtibus saepe expanduntur.

Omnes fere secretiones et excretiones alienatae apparent. Perspiratio cutis vel imminuta vel aucta observatur, cutis ipsa frigida et arida, nisi glutinosis sudoribus squalens. Etiam systema lymphaticum participare videtur; itaque in tela corporis praecipue cutis humores e sanguine excreti accumulantur. Aegrotae igitur turgore vitali imminuto tumescunt et primum quidem palpebrae totaque facies, deinde totius corporis superficies, ita ut habitum tumescentem supra jamjam commemoratum prae se ferant. Excretio alvi plerumque est retenta, tarda; saepius autem diarrhoea insequitur. Faeces ipsae male digestae, mox globosae, durae. mox mucosae, tenues, aquosae, rarius perversa bilis secretione albidae ictero laborantium excrementis similes inveniuntur; etiam gelatinae instar, tremulas massas, cum vermibus, ascaridibus [17]), taenius [18]), arena [19]) per alvum esse excretas, nonnunquam observatum est. Urina pallida, turbida apparet. Saliva viscida, male sapiens, bilis saepe nimis parca, serosa, aquosa, interdum abundantius in duodenum effusa et polycholicae symptomata exhibens reperitur.

---

17) J. D. Brandis, Erfahrungen über die Wirkungen der Eisenmittel. Hannover 1803.

18) Hause, über Erkenntniss und Kur der chronischen Krankheiten, Leipzig 1817, vol. 1. p. 550.

19) Sandgenuss bei einer Chlorotischen, von Dr. Bessener in Duisburg. Rheinisch-westphäl. Correspondenzbl. 1. Dec.

Omnia vero quae perversum chemismum digestionis et assimilationis indicant, procedunt ex commutato nexu inter sanguinem et nervos, cui fortasse laesio quaedam functionis lienis accedit, de cujus momento in digestionis chemismum dubitari non potest.

In systemate sexuali semper conspicitur onomala vitalitas, quae plerumque menstruatione retenta constat. Organa sexualia saepissime atrophica, nondum avoluta, atonica mammas non turgescentes sine omni plenitudine virginea, labia et vaginam luxa reperimus. Coeundi libido rarius plane abest, saepissime adeo adaucta (cf. Mende l. c. p. 370), ut onaniae aegrotae se dedant saepiusque nymphomania afficiantur. Menses semper sunt perturbati. Plerumque sanguinem cum muco mixtum emmittunt aut fluor albus locum eorum tenet. In aliis nonnunquam menstruatio cessat, sed sparsa et irregularis fluit; saepissime primo tempore adest et aliquod post tempus cessat, quum morbus increscit, rarius tamen invenitur nimia. Alius puellas malum aggreditur, priusquam menstruatio apparuit et tunc non apparet nisi chlorosi sanata. Saepius puellae retentione mentium laborantes eo tempore quo fluxus meastruus provenire deberet, solum de moliminibus menstrualibus conqueruntur. Nec desunt exempla, menstruationem per insolitas vias [20]), ut per nares, pulmones, etiam per oculos, aures, mammas, ex digito prorupisse. Sanguis ipse menstrualis est pallidus, aquosus,

20) Rust, Magazin für die gesammte Heilkunde. Berlin 1835. Bd. XXXIII. p. 447.

in linteis maculas relinquens quae exsiccatae colorem mutant.

Denique major vel minor lienis affectio semper observatur. Chlorotica enim in ejus regione dolores sentiunt pungentes, qui non semper quidem adsunt, sed exacerbantur, quum aegrotae celerius currunt aut saltant aut fortius respirant aut si digitis lienis regionem comprimis. Etiam hyperaemiae, physconiae lienis (cf. Canst. l. c. p. 31) cernuntur, quibus signa lienitidis, uti dolores vagentes in dorso, dolor sub scapula sinistra levisque febris intermittens interdum accedunt. Inter veteres praecipue Fonseca [21]) hoc commemorat, nostra autem aetate Brueck [22]), Schoenlein (l. c.), Canstatt (l. c.), Berndt [23]) idem referuut. Praeter lienem etiam hepar affectum esse ex affectionibus polycholicis prodit, quae saepius conspiciuntur.

De complicationibus quas chlorosis init.

Chlorosin per se morbum complicatum esse, jam e symptomatologia apparet. Raro igitur corpora invadit integra valetudine vigentia, sed semper res affuerunt chlorosi faventes. Sunt autem mala quibus aegratae jam a tenerrima aetate affectae erant, ut morbus scrophulosus, qui physconiam glandularum meseraicarum reliquit, sanguificationi valde abnoxiam, infantium atrophia mesenterica, rachitis, febres graviores, intermittentes. Saepissime

21) Roder. a Fonseca consultat. med. Frankf. a. M. 1665. p. 58.
22) Brueck, in Caspar's Wochenschrift, 1841, No. 31.
23) Berndt in praelectionibus.

vero morbi simul cum chlorosi geniti ex iisdem causis cum ea complicantur, qui tamen, a morbis sequentibus, de quibus infra sermo erit, haud distincte separandi sunt. Huc pertinent morbi gastrici, affectiones gastro-intestinales ad inflammationem vergentes, quas affert Gintrac [24]), cardialgia, impetigines aliaque exanthemata, ulcera quae obsidere amant prasertim faciem, regionem circa genitalia et extremitates, etiam erysipelas faciei, quam Roque d'Orbcastle [25]) nuper observavit, asthma, oedema, hydrops pectoris, pericardii, ovariorum, phthisis pituitosa, praecipue tuberculosa.

Signa physiologica et anatomico-pathologica.

In chloroticis sanguinis non solum quantitas imminuta est, sed etiam qualitatis commutatio exstat. Omnes enim qui de sanguinis analysi experimenta instituerunt — fuerunt imprimis Lecanu, Foedisch, Andral, Gavarret — in eo consentiunt, ut copia globulorum et ferri quantitas imminuta et liquor sanguinis, quam vulgo dicimus serum sanguinis, praevalent. Secundum autem Foedisch, ut unum experimentum afferam, continent mille partes sanguinis puellae chloroticae

cruoris	seri	fibrinae	aquae	ferri
91,41	93,61	6,40	806,28	3,30

puella autem sanae

24) Remarques sur la Diagnostic de la chlorose; états morbides simulant cette affection, par Gintrac, Prof. de clinique interne à l'école de Medicine de Bordeaux, Janvier.

25) Erysipele de la face chez une femme chlorotique, Gazette des hôpitaux, Nr. 92.

cruoris	seri	fibrinae	aquae	ferri
124,00	86,01	25,11	756,87	8,01

Quod attinet ad colorem sanguinis, chloroticarum sanguis magis albus invenitur et pigmentum rubrum facile ablui potest. Densitas eam ob causam et pondus sanguinis minutum est.

Ea quae cadaverum sectio ostendit, plerumque ad mala chlorosin sequentia aut ad complicationes haud necessarias spectant', rarius autem de causa proxima morbi nos certiores faciunt. Saepius nihil cernitur, quod alicujus momenti sit. Omnia fere organa in morbo affecta apparent pallida, uti cerebrum, pulmones, hepar, renes, etiam musculi, nonnulla tamen fere nunquam exsanguia, uti hepar, lien, dura et pia mater. Saepissime in cavo pectoris, in saccis pleurae, in pericardio exsudationes serosae inveniuntur, quae exitum infelicem in hydrothoracem et hydropericardium indicant. Marshall Hall exsudationis in ventriculis cerebri mentionem facit, ubi aegrotae per apoplexiam subito eversae erant. Cor plerumque athrophicum, laxum, molle conspicitur; in nonnullis chloroticis subito defunctis Mende invenit foramen ovale septi atriorum non modo apertum, sed etiam amplificatum, quamquam nihil abnorme ante mortem in sanguinis circulatione animadvertebatur; valvulas cordis et magnarum anteriarum nonnunquam obduratas, deformatas, etiam ossificatas esse Richter [26]) affert. Vasa inveniun-

---

26) A. S. Richter, specielle Therap. Bd. III. p. 762. Berlin 1817.

tur languida, laxa, torpida, hic illic extensa et exsanguia. Quod attinet ad organa abdominis hepar est majus, mollius neque minus lien, ventriculus saepius contractus, intestina aëre expansa aut contracta, glandulae meseraicae saepius induratae una cum hydrope ascite reperiuntur. Praecipue autem organa sexualia atrophica, nondum evoluta, ovaria hypertrophia, supparata, hydatidibus obsessa, portio vaginalis uteri nonnunquam cartilaginea, vagina arcta apparet. Engel[27]) tuberculosin in utero chloroticae invenit.

Aetiologia.

Causae generatim disponentes.

Chlorosis omnibus quidem locis orbis terrarum observatur; terrae tamen et regiones paludosae, praecipue ad mare sitae, ut litus Pommeranum tempore verno, atque regiones, in quibus febres intermittentes endemicae grassantnr, deinde convalles praecipue sub coelo calidiore sitae, chlorosi provocendae summopere favent. Auctore Schoenlein regionum septentrionalium incolae ad chlorosin procliviores sunt; tamen Busch regionem non ad frequentiam sed ad speciem morbi valere censet, ita ut in regione septentrionali torpida, in meridionali erethica saepius deprehendatur forma. Etiam endemicus[28]) mor-

---

27) Ueber Dyskrasien, von Prof. Jos. Engel in Zürich. Wiener Zeitschrift. Juni.

28) Valdée, de la chlorose, Paris 1813. — Blosield in Hufelands Journal 1831, Juny.

bus fuisse narratur apud Belgas, in insula Riga aliisque locis, ubi tempestas diu frigida, humida, pluvia praevalet. Tempore verno autem et auctumnali malum chloroticum crebrius invenitur quam aestate et hieme.

Causae individualiter disponentes.

Praedispositio ad chlorosin sexu sequiori propria est, quam in systemate uterino et in constitutione organismi foeminei peculiari ponimus. Praecipue autem ea virginum aetas disponit, qua pubertas evolvitur, quapropter evolutionis morbis chlorosis recte adnumeranda est. Haud quidem desunt auctores, qui hoc morbo mulieres adultas [29]) imo decrepitas affici contendunt, ut alii, qui infantes [30]), juvenes [31]), viros [32]) chlorosi laborasse voluerunt, tamen vero hae morbi species non statuendae mihi videntur, quia variae illae variis ex causis productae aegrotudines, etsi chlorosi imprimis cutis pallore haud dissimiles, aetiologiae tamen respectu ab ea plane discre-

---

29) Kaltschmidt, diss., vidua triginta annorum chlorosi laborans, ten. 1752.

30) Marschall Hull, l. c., qui eam formam Leucosin vocare vult.

31) James Hamilton, Bemerkungen über die abführenden Mittel in ihrer Anwendung. Aus dem Englischen von Joh. Müller, Leipzig 183, p. 67.

32) Schmalz, diagnost. Tabellen, Dresden 1816, p. 184. — S. Fox l. c. — Sur la cholorose des adultes par Blaud Médicin, en chef de l'hôpital de Beaucaire etc., Revue méd. Janvier.

pant. Tertium locum inter causas individualiter disponentes corporis indoles quaedam tenet, in chloroticis semper observata, quae pro aegrotae constitutione, habitu, temperamento conspicitur aut erethica aut torpida.

Ubi constitutio corporis est nervosa, habitus gracilis, cutis laxa, albicans saepiusque cernuntur genae et labia rosaceo tincta colore, crines flavi, molles, tenues, iris coerulea, ingenii facultates praemature sunt evolutae omniumque sensuum adest erethismus, praedispositio erethica exhibetur. Praedispositio torpida autem apparet, si constitutio est leucophlegmatica, habitus laxus, remissus, cutis pallida, tumescens saepiusque animadvertuntur status pituitosi aliaeque digestionis molestiae, nec non ingenii evolutio reperitur impedita totiusque systematis nervosi atque vasculosi status torpidus.

Haud etiam exempla desunt, puellas a matre chlorotica quondam editas chlorosi corripi ideoque morbum hereditarium esse. Praeterea acquisita illa dispositio huc accedit, quae provocatur imprimis puellarum educatione physica aeque ac psychica neque minus ratione vivendi perversa, praecipue vita sedentaria et parca subdivo exercitatione. Plura denique momenta, quae ad dispositionem symbolam dant aut inter causas occasionales aut ubi de causa proxima atque natura morbi sermo erit, locum tenent.

Causae occasionales.

Inter causas occasionales primum aër depravatus occurrit, maxime is qui multo acido carbonico et hydroge-

nico mixtus est, itaque atmosphaera humida, frigida atque aëris atmosphaerici et lucis solaris defectus. Neque minus nutrimentum mancum et perversum, ut farinacea, leguminosa, olera, fructus aciduli et immaturi, ex animalium ordine nimis adiposa aliaque, quae non satis ventriculi et viscerum vires incitant aut concoctu sunt difficilia multum ad chlorosin excolendam conferunt. Potulentorum quoque abusus haud parvum detrimentum digestioni affert, imprimis fabarum coffeae et theae viridis infusorum, quae robur musculorum, ventriculi et intestinorum irritabilitatem infirmant, quo motus peristalticus retardatur et alvi obstructio, ructus acidi, cardialgia saepius adducuntur. Deinde vestimenta perversa suspicione normalem sanguificationem impediendi haud carent, praesertim thoraces linteos gerendi illa nociva consuetudo. Neque minus neglecta cutis cultura atque depravatio ope stultorum ictorum conaminum faciei pulcritudinem augendi huc referendae sunt. Etiam domicilium humidum aëri non satis expositum pallorem cutis, musculorum infirmitatem omniaque chloroseos symptomata exhibet, quippe quum nihil sanitati magis conveniat ac liber aëris accessus, quo sanguis satis oxydatur. Quapropter in urbibus saepius quam in pagis puellis obvenit.

Alia obnoxia ex immodica nervorum irritatione causisque chemicis sequuntur. Illis accedunt graviditas praematura et masturbatio, quam fluor albus saepius insequitur; his imprimis medendi rationes perversas adnumero, quibus magna sanguinis aliorumque humorum generosiorum

jactura adducitur. Itaque abusus medicaminum metallicorum, uti hydrargyri, plumbi, cupri etc. neque minus methodus antipblogistica nimis largiter adhibita in phlogosibus et emmenagogorum propinatio, si medici chlorosin semper ex amenorrhoea ducunt, in provocando aut augendo morbo permultum valent.

Jam animi affectus et perturbationes aeque ac motus psychici accusandi sunt, uti moeror assiduus, praecipue ob inopinatum ex rebus secundis in adversas transitum, amor infelix et occultus, curae neque minus imaginationes libidinosae librorum lubricorum lectione excitatae, praematurum cum sexu virili commercium, quibus cupidines accenduntur non ubique satiandae, etiam matrimonium praematurum. Porro accedunt vita valde otiosa, mollis, luxuriosa et sedentaria, qua sanguinis circulatio retardatur, digestio impeditur, alvi adducitur obstructio; ratio vivendi, quemadmodum puellae sedecim seu viginti annos natae saepius in chlorosin incidunt, si rus cum urbe vitamque actuosam cum segni et sedentaria commutant. Praecipue autem somnus in serum diem protractus et in lectis calidioribus et vestibus non depositis commemorandus est neque minus somnus ita imminutus, ut corpori non concedatur quies necessaria, si puellae justum transcedentes mdoum ad mediam usque noctem et ulterius choreis aliisque delectamentis deditae sunt.

Morbi quoque permulti aut acuti cum magno virium collapsu conjuncti aut chronici malo chlorotico producendo favent. Huc pertinent febres nervosae, intermittentes,

quae per longum tempus perdurant, status pituitosi atque verminosi, scrophulae, hydrops, scorbutus, etiam exanthemata, ut scabies[33]), morbilli, scarlatina, tum morbi organorum, qui maximam vim habent in sanguificationem bonam, uti morbi cordis, praecipue endocarditis[34]), lienis, hepatis, glandularum meseraicarum nec non affectus, quibus organa abdominis debilitantur, uti diarrhoeae vires exhaurientes, digestionis imbecillitas, excretiones copiosae, blennorrhoeae, haemorrhagiae, menses profusi.

Causa proxima morbi atque natura.

In nullo fere morbo tam difficile est, causas ab effectu distinguere quam in eo, de quo nos agimus. Nam quae cadaverum sectio ostendit ad causas proximas chloroseos statuendas non sufficiunt. Veterum sententias W. Grimm in opere de chlorosi accuratius composuit, hoc autem loco sufficiat, graviores tantummodo exhibere easque perscrutari.

Galenus et qui eum secuti sunt, Fr. Hoffmann[35]), Hamilton, Gardien[36]) aliique chlorosin posuerunt in adynamia quadam organorum chylopoëticorum, imprimis ventriculi atque tubi intestinalis, qua sanguinis oxydatio to-

---

33) Autenrieth, Versuche über die praktische Heilkunde aus den klinischen Anstalten zu Tübingen. Bd. I. Th. 2, pag. 275 et sqq.

34) Berndt, Die Lehre von den Entzündungen, Greifswald 1837, Bd. II. p. 34.

35) Opera omnia. Genevae 1748, T. III, p. 312.

36) Dictionaire des sciences medicinales, T. V. p. 139.

tusque vegetationis processus impediatur. Scire autem oportet, chlorosin haud raro prius apparere, quam digestionis perturbationes animadvertuntur, has igitur pro causa non habendas esse; deinde in aliis morbis, uti in phlogosibus, digestio multo magis perversa est quam in nostro neque tamen ejus symptomata accedunt; denique sanguis venosus in corpore praevalet, ubi sanguinis oxygenatio prohibetur indeque color faciei cyanoticus non chloroticus prodire solet.

Alii auctores, uti Fonseca (l. c. p. 184.), R. a Castro [37]), Darwinus [38]), van Swieten [39]) mali chlorotici naturam in laesa viscerum abdominaliam integritate et in perturbatis eorumdem functionibus quaerunt. Etiam novissima aetate Fox (l. c.) sententiam proposuit, chlorosin e functionis hepatis laesione chronica gigni. Quamquam autem negari non potest, haec momenta haud parum chlorosi provocandae suffragari, exemplis tamen nondum confirmatum est, ex iis morbum originem duxisse, nisi aliae res necessariae iis accesserint. Verisimile quoque est, symptomata ex aliis morbis producta cum iis chloroseos commutata esse, quem in errorem imprimis Fox ille incidisse mihi videtur, quia signa icterica cum chloroticis certe confundit.

Neque minus illa quoque opinio spernenda est, etsi

---

37) De universa muliebrum morborum medicina. Hamburg 1642. p. II, Lib. II. p. 202.
38) Zoonomie, Hannover 1779, Bd. III, p. 183.
39) Commentar, in Boerhavii aphorismos. T. I. §. 70.

veritati paululum accedit, chlorosin ex asthenico quodam statu genitalium simul cum amenorrhoea exorto originem ducere, itaque amenorrhoeae generi attribuendam esse. Tuentur quidem hanc opinionem, cui Ettmüller jam obstitit, Joh. Lange [40]), Lieutaut [41]), Astruc [42]), Cullen [43]), Rowley [44]), Haase (l. c. p. 558.), Burns [45]) aliique medici. Semper autem amenorrhoea nil nisi sequela est in chlorosi idiopathica atque genuina, quippe quae evolutionis aetate virginem corripit atque conditiones justas ad menstruationem removet; ut postea apparebit. Effectum igitur cum causa permiscuerunt quos alligavi auctores. Mensium enim defectus, si genuina chloroseos causa est, cur toties observatur non tamen insequente chlorosi? Neque minus menses interdum proveniunt, chlorosis autem non cessat et aegrotae adhuc magis in pejus ruunt. Praeterea cura nos docet, roborantia in sanando malo chlorotico plurimum valere atque amenorrhoeam cum ea forte conjunctam tollere, id quod raro tantummodo emmenagogis fit; imo amenorrhoea ipsa secundum chloroseos naturam remedium est hujus morbi. Denique chlorosis

---

40) Epistolae medicinales. Libri III. (Lib. I., epist. 21.) Frankfurt 1589.
41) Synopsis universae praxeos medicinae. 1765. p. 448.
42) Traité de maladies des femmes. 1761. T. II. p. 1.
43) Anfangsgründe der prakt. Arzneiwissenschaft. T. II. 1780. p. 28.
44) Prakt. Abhandlungen über Frauenzimmerkrankheiten. 1790. p. 11.
45) Grundsätze der Geburtshülfe. 1820. p. 171.

multis morbis associatur, ut supra vidimus, neque soli amenorrhoeae.

Quemadmodum tamen amenorrhoea chlorosin producere possit, quae tunc deuteropathica gignitur, adhuc valde est in occulto. Ubi vero fit, auctore Berndt [46]) duo momenta in conspectum veniunt. Nam aut suppressio mensium reflectitur in lienem, quem in chloroticis plus minus affectum invenimus, indeque sanguificatione pejore adducta chlorosis apparet, aut puellae menstruatione fluente post motum corporis seu post laborem sudantes frigori subito se exponunt, ita ut endocarditide exorta, cordis functio adeo laesa sit, ut chlorosis insequatur.

Aliis sententiis, quae de chloroseos natura etiam novissima aetate scriptae sunt, respondere, non est pretium. Sic anonymus quidam (Canst. u. Eiserm. l. c. 1846, p. 197.) chlorosin in neuralgia medullae spinalis ponit saepiusque eam cum myelitide chronica complicatam esse vult. Rognetta [47]) morbum ex arteritide chronica (subartartérite lente) deducit eamque venaesectione curandum esse censet. Jam vero perspicuum est, omnes quas alligavi sententias de chloroseos natura aut nihil demonstrare, quia fundamentis veris careant, aut veritatem in medio earum esse ponendam. Itaque tantummodo chemiae et sectionis inventa hanc rem ad lucem proferre valent.

---

46) Berndt in praelectionibus.

47) La chlorose, par Rognetta. Annales de Thérap. med. et chir. Juin.

Chemia pathologica autem ostendit, in malo chlorotico laborantibus semper sanguinis copiam simulque cruorem, ferrum imminui, partes vero aquosas augeri. Unum igitur momentum essentiale morbi naturae sanguificationi vitiosae tribuendum est; quaeritur tamen unde haec fiat. Sectio de ejus causis nil affert; vitia enim sanguinis comprobat quidem, at potius mala ostendit ab iis organismo adducta. Dubium autem non est, sanguinis inopiam ejusque mixtionem vitiosam in chlorosi repertam gigni ex omnium materiarum penuria, quaecunque necessariae corporis nutritioni inserviant simulque ex nervorum praecipue trophicorum alieñatione, quibus tamen momentis affectionem quandam lienis dare symbolam, verisimile est.

Omnis enim organismi functiones, quotcunque sint, continua atque integra materiarum commutatione nituntur. Quod quum perficiatur alimentis ventriculo ingestis quibus in chymum atque chylum conversis sanguini consumpta restituantur, chylus ex nutrimento manco et perverso sumptus sanguini non eam praebere potest bonitatem, qua opus est, ut conveniens solidorum molicularum copia deponatur, nec non sanguinis ipsius penuriae affert causam. Hoc eo magis fieri debet, ubi aër depravatus inspiratur aliaeque res sanguinis oxygenationi obnoxiae sunt neque minus ventriculi et omnium organorum digestioni inserventium debilitas exstat.

Systematis nervosi imprimis trophici alienatio qualis sit undeque fiat haud prius elucescet, quam nervorum pathologiam habeamus satis perspicuam. Bene Grimm

(l. c.) ad eam explicandam in parte centrali systematis gangliorum atoniam quandam ponit suamque sententiam experimentis confirmare contendit, quae Dupuy instituit. Hic enim invenit, fibrinam sanguinis nervo pneumogastrico in equo dissecto intra paucas eas hebdomates, quas equus adhuc vivat, sensim sensimque imminui. Dubium autem esse non potest, etiam nervorum principium proprium sana nutritione carere, ubi totius organismi alienatio prostrata sit, itaque nervos ipsos neque in concoctionem neque in ceteras corporis functiones normaliter agere valere. Praeterea pubertatis evolutio cujus aetate chlorosis puellas invadit, gangliorum perversioni magnopere favet. Tunc enim in corpore virgineo actiones productivae praevalent ideoque materies plasticae adaugentur totusque organismus ad majorem conformationis gradum evehitur. Haec tamen actiones eo tempore imprimis ad systema sexuale se vertunt, ita ut hoc prae ceteris vigeat. Quando vero genitalia non explent suam functionem, uti in symptomatologia vidimus, earumque nervorum plexus alienati apparent, consensus inter gangliorum provincias perversus esse debet. Itaque eo tempore quo nutritio ac sanguificatio in corpore virginis majori vi tenduntur, si fluxu menstruo normali sanguis supervacaneus non evacuatur, materies plastica adaucta corpori redditur ibique praeter normam accumulatur nec non omnibus organismi functionibus maxima affert damna. Sensim sensimque autem totum systema gangliosum, quod vegetationi praeest, participabit, unde chymi atque chyli malae

conformationi nec non sanguificationi mancae et vitiosae alia suppeditatur causa.

Lienis veram functionem minime quidem compertam habemus; exempla tamen haud desunt, morbos lienis sanguinis boni formationi valde obnoxios esse. Quod quidem in multis aliis morbis praecipue autem in febri intermittente conspicitur. Hac enim corpus vexante, lien saepius simul afficitur, imo vero physconia ejus accedit, quando quidem febris perseverat nec non status cachecticus quidam, hydropicus aut anaemicus producitur nostro morbo haud dissimilis. Semper autem in puellis chloroticis lienem plus minusve affectum invenies (utrum quidem idiopathice an deuteropathice statuere non audeo) atque sectio eum saepe hyperaemicum, induratum, atrophicum ostendit. Dubium igitur non est, quin lienis affectio etiam in vitiosam sanguinis chlorotici conformatione majoris momenti sit, ita quidem, ut chymificationem et assimilationem perversam atque gangliorum vitalitatem alienatam inter se connectere [48]) videatur. Fortasse quoque imprimis sanguinis serositas in chlorosi reperta ex ea causam ducit. Jam prius Fonseca (l. c. p. 58.) etiam causam proximam morbi in affectione lienis posuit atque nostra aetate Brück (l. c.) tumorem illum oedematosum chloroticarum, quem turgorem lymphaticum vocat, praecipue ex lienis affectione pendere vult. Similiter Schönlein (l. c.) ex liene affecto hydropem chlorosin saepius insequentem derivat.

---

48) Berndt in praelectionibus.

Ex his elucebit, quibus de causis chloroticarum sanguificatio manca et alienata sit, simul vero chlorosin non solam anaemiam chronicam esse, uti vult Canstatt (l. c. p. 33). Sin autem per se haece perturbationes, de quibus adhuc sermo fuit, morbum nostrum constituere valerent, multo saepius etiam in hominibus malis quibusdam cachecticis aut anaemicis laborantibus occurrere deberet. Itaque aliud quidpiam iis accedat, necesse est, ut chlorosis conformetur. Sed in puellis chloroticis similia atque in foeminis gravidis et histericis animadvertuntur quarum uterus cum suis nervis semper peccare solet, uti pica illa chlorotica, cardialgia, vomituritiones, nausea, cephalalgia ostendunt. Praeterea graviditas saepe optimum contra chlorosin est remedium eamque, ut Autenriethius ait, sine ferro sanat. Inde jam concludere licet, in chlorosi semper abdominalium nervorum plexus in specie plexus organorum sexualium primum esse affectos. Sed ad propriam suam conformationem morbus in instantem aut modo evolutam pubertatem semper cadat, necesse est. Hoc jam Richter (l. c. p. 748.) et Mende (l. c.) et Joerg [49]) statuerunt atque fere idem de Siebold [50]) et Raimann [51]), qui tamen cruoris sanguinis formationem impeditam esse adjiciunt.

Dicunt enim Richter et Mende, chlorosin sequelam

---

49) Handbuch der Krankheiten des Weibes. Leipz. 1809. p. 193.
50) Handbuch der Frauenzimmerkrankheiten. Frankfurt 1823. §. 442.
51) Spec. Pathologie u. Therapie. Bd. II., §. 984.

esse praematurae evolutionis systematis sexualis, antequam corporis vires ad conservationem propriam sufficiant. Quod etsi nimis in universum dictum nec etiam satis comprobandum est, quia puellae quoque robustiores in chlorosin incidunt, tamen illis in eo assentio, evolutionis periodum cum chlorosi semper concurrere, quia ad systematis sexualis vitalitatem anomolam exhibendam conditiones afferat. Constat enim, sexus sequioris genitalium evolutionem multo magis quam virilis in omnes corporis functiones influere, uti postea quoque systema sexuale foeminis in toto organismo praevalet, ita ut fere dicatur, mulierem propter uterum conditam esse. Si igitur talia functionum vitia in corpori exstant, qualia supra exposita sunt, genitalium evolutio minime justo modo fieri eorumque vitalitas anomala esse debet, id quod et symptomata morbi et sectionis inventa satis confirmant. Menstruatio enim, si non provenit, morbo quoque vigente non apparet; ubi vero jam affuit munca, aquosa fit aut plane supprimitur; at si nimia invenitur (quum systematis sexualis evolutio aut propter aetatem apparet aut propter nisum formativum ad haec organa determinatum praecox fit) haud multo post vires corporis non satis robusti labefactatae functionibus sexualibus non amplius sufficient et chlorosis exoriatur necesse est. Cadaverum sectio autem uterum nondum evolutum et parvum ostendit. Simul vero totius organismi virginei nisus ad genitalia evolvenda gangliorum alienationem in specie plexuum organorum sexualium valde adauget. Itaque chlorosis instantis aut

modo evolutae pubertatis aetate puellas correpit saepiusque magnum ad gradum increscit atque ejus causas proximas et naturam eas esse, quas supra jamjam exhibui (cf. p. 2.), arbitror. Neque tamen quispiam censeat, unam causam semper adesse oportere, priusquam altera appareat, sed alia alii suppeditat cauditionem.

Decursus morbi et exitus.

Decursus chloroseos semper est chronicus, quia plerumque constitutionis vitia, quae tantummodo difficilius et tardius removeri possunt, ad eam producendam praebent ansam. Perdurat igitur aliquot menses, imo etiam annos. Interdum quidem sanitas cura brevi restituitur, rarissime tamen singulae hebdomades sufficiant, uti Blaud apto regimine intra viginti dies malum chloroticum curavisse vult. Exitus chloroseos modo est sanitas perfecta aut imperfecta, modo morbi secundarii, modo mors semper tamen morbis secundariis adducta.

In sanitatem perfectam chlorosis plerumque quidem transit, eo magis quo levior est ejus gradus. Nunquam tamen crisibus perspicuis finis intrare solet, sed reconvalescentia gradatim procedit. Saepius etiam symptomata redeunt neque tamen vehementius praecipue quum menstrua iterum immineant, qua de causa maxima cautela diaetetica est commendanda. Instantem vero sanitatem cognoscimus, quum cutis normalem colorem recuperat, calor animalis crescit, ciborum appetitus, animi vigor et hilaritas redeunt, menses regulariter fluunt, pulsus ple-

nior evadit simulque strepitus cordis et arteriarum evanescunt. In mensium primo quidem profluxu sanguis muco commixtus evacuatur, sed mox purus et rubicundus sanguis emittitur. Neque tamen solus mensium fluxus de instante sanitate nos certos facere potest, nisi alia sanitatis signa accedunt.

Ubi vero malum jam magna incrementa cepit neque cohibetur apto consilio symptomata in dies incravescunt. Oritur enim cephalalgia, quae potissimum regionem occipitalem occupat, polydipsia, dispnoea, palpitationes cordis augentur. Persaepe chlorosis tum in morbos abit alios.

Jam ex sanguinis lapsu totaque actione vegetativa prostrata morbi graviores sequuentur. Sic cachexia serosa praevalente hydrops atonicus primum tenet locum, qui initio anasarca, tum ascites, hydrops pectoris, pericardii, hydrops universalis denique obviam venit. Neque rarius ex vitiosa sanguinis qualitate pulmonum oriuntur tubercula et phthisis, uti jam veteres phthisin chloroticarum statuerunt.

Gangliorum autem alienatio debilitatem quandam erethicam sensibilitatis exhibere solet, quae in morborum psychicorum formis, somnambulismi, melancholiae, maniae se manifestat. Neque rarius gangliorum sensibilitas perversa in medullam spinalem influit eoque ex fonte neuroses varii, uti spasmi, chorea St. Viti, epilepsia oriuntur nec non cordialgiae gravissimae species, asthma, tabes nervosa saepissime evadunt. Item ex impedita innervatione

in systema sexuale hysterismus, nymphomania procedunt; imo etiam sterilitatem sequi aut chloroticas liberos imbecillos parere fertur, quod tamen de iis tantum valet, quas morbus gravissime corripuerat.

Denique vitia organica saepius adducuntur, quorum praecipue cordis affero dilatationes, aneurysma illud ventriculi dextri passivum, cujus Schoenlein mentionem facit, atque morbos, qui in liene haud raro remanent, sicut atrophiam et indurationem, quae transeunt in hydropsiam. Omnia autem haec diversa mala secundaria, nisi sanantur plerumque febrem hecticam, lentam indeque mortem adducunt. Nonnunquam tamen observatum, ut Marshall Hall affert exempla, chloroticas morte repentina abreptas esse.

Diagnosis.

Chlorosis quamquam cognitu haud difficilis est, interdum tamen quibusdam aliis morbis commutari potest Sunt autem potissimum morbi cachectici, anaemia, cyanosis, icterus, oedema nec non solae mensium aberrationes, chlorosis illa fortiorum et scabiosa, morbi lienis et cordis vitia organica propter cordis palpitationem.

Quo modo morbus noster et anaemia in sanguinis mixtione inter se differant, nondum satis compertum est. Certa vero diagnosis ex causa atque decursu sequitur. Chlorosis enim evolutionis periodo observatur sensim sensimque increscens atque sexui sequiori propria, anaemia quovis sexu atque aetate et omnino post apertam quan-

dam causam, uti post haemorrhagiam, corpus subito intrat. In malo chlorotico deinde color potius ex flavo virescens reperitur, in anaemia pallidus, qualis est mortuorum. Restat, ut chloroseos propria indoles in eo conspiciatur, quod praeter anaemiae symptomata semper etiam mutatam systematis sexualis vitalitatem prae se fert, quae in anaemia neque perpetuo et simul exstat neque ad eam conformandam necessaria est.

Cum morbo coeruleo chlorosis confundi possit, si cutis color in coeruleum vergit, qui tamen in cyanosi imprimis in labiis, palpebris, naso, genitalibus, pedum manuumque dorsis et in digitorum phalangibus conspicitur. Cyanosis praeterea fere semper congenita aut serius perspectum symptoma vitii cordis est raroque ex mensibus suppressis derivanda.

Ictericae autem quamvis nonnunquam quendam cutis pallorem praebeant atque chloroticarum cutis saepius sit livida, cinerea, etiam colorem flavum tangat, tamen sclerotica oculi in chloroticis perquam alba, in ictericis praecipue flava invenitur. Porro strepitus cordis et arteriarum in chloroticis observatur ictericis autem abest. Vitia digestionis utrique quidem morbo propria sunt, faeces tamen ictericarum semper, chloroticarum rarissime minusque apparent albidae. Urina denique chloroticarum limpida ictericarum flava aut fusca est.

Oedema pedum illud chloroticarum nocte evanescit, palpebrae autem et facies mane maxime tumescunt neque impressiones digitorum remanent.

Etiam solae mensium aberrationes chlorosin saepius aemulantur neque vero semper chlorosis iis se associat. Is quoque morbus, qui chlorosis fortiorum, florida, febris alba densa nominatur a clorosi perquam differt, quia anaemia omnino abest eaeque puellae quae hoc morbo corripiuntur, etiam plethoricae sunt (cf. Canst. l. c. p. 42). Chlorosis autem scabiosa Autenriethii ad dyscrasiam psoricam spectat.

Liene laborantium color magis fuscus, imo luridus apparet nec earum vires adeo labefactatae sunt quam chloroticarum.

Palpitatio cordis chloratica ab organica saepe distinctu difficilis est, quia utrique malo strepitus ille cordis et vertigo, oedema pedum et palpebrarum pallorque faciei et cutis accedunt. Praeterea a chlorosi vitia organica cordis interdum adducuntur, quare saepe cognosci non potest, utrum malum prius affuerit. Plerumque tamen haec momenta ad diagnosin statuendam sufficiant. Chlorosis pubertatis aetate puellis obvenit, vitia cordis autem prius imo jam prima aetate inveniuntur aut in foeminis provectioris aetatis saepius quoque praedispositio hereditaria in morbis cordis organicis conspicitur quam in chlorosi. Quod autem ad id attinet, quod cordis palpitationes chlorosi pariter ac in vitiis cordis organicis cibo et potu irritante adaugentur, chloroticae per longum tempus evanescunt neque aegrotas adeo torquent quam organica quae fere semper perseverant. Pallor cutis deinde in puellis quae cordis vitiis vexantur non totam occupat fa-

ciem, sed genae et labia livida sunt. Praeterea remediis exitantibus et martialibus adhibitis chloroticarum palpitationes cordis decrescunt iisque remedia antiphlogistica et narcotica sunt salubria.

De chloroseos differentiis.

Differentiae chloroseos a scriptoribus non satis expositae sunt. Cullen (l. c. Bd. III. p. 311), Souvage (l. c. p. 309) aliique medici chlorosin distinguunt virgineam, amatoriam, infantilem et verminosam. Minime vero haec divisio morbi naturae respondet. Eae chloroseos differentiae, quas de Siebold (l. c.) instituit, ad curam potius spectant. Omnes autem morbi divisio naturae morbi adaptanda est neque minus practicum quoddam commodum praebere debet. Aptissime igitur chlorosis distinguenda mihi videtur secundum ortum, characterem, complicationes cum aliis morbis.

Quod attinet at ortum chlorosis aut idiopathica aut deuteropathica est, uti Berndt [52]), Busch aliique statuunt.

Chlorosis idiopatica ex universa corporis debilitate prodit totusque apparatus qui digestioni praeest, in ea adeo prostratus 'est, ut chylificatio et sanguificatio non fiant bonae nec organismus reproductione laesa labefactatus necessarium cum utero ineat consensum, quare menstruatio aut non apparet aut parcius et semper irregulariter fluit ceteraque chloroseos symptomata accedunt.

---

52) In Praelectione.

Chlorosis deuteropathica tum conspicitur, quando puella eo usque optima sanitate valens et regulariter menstruans morbis gravioribus corripitur, qui corporis reproductionem infestant atque debilitant ideoque organismi justus cum utero contactus non adest, unde fit, ut uteri functio ejusque vis vitalis et vigor imminuantur, menses supprimantur, pullor chloroticus ceteraque chloroseos signa exhibeantur.

Ex dispositione individuali aegrotae deinde sequuntur chlorosis erethica et torpida, quas morbi species Schmalz (l. c. §. 1664) primus exposuisse fertur.

Chloroseos erethicam formam indicant magna sensibilitas atque teneritas corporis universi, sanguinis congestiones, subitae ruboris et palloris aeque ac caloris et frigoris vicissitudines, quibus cephalalgia, spasmi, vertigines, anxietas, palpitationes cordis accedunt saepiusque queruntur aegrotae insomniam, scintillas ante oculos, aurium tinnitus, quae quidem omnia qualibet augentur excitatione. Pulsus celer, frequens, interdum duriusculus reperitur. Transire autem amat in febrem hecticam (cf. Canst. l. c. p. 41).

In chlorosi torpida omnes vires magnopere labefactatae apparent. Ingens inertia, magna post levissimum quemqne motum fatigatio, debilis in incitamenta reactio, pallor continuus, saepius defunctorum instar, corporis temperatura semper imminuta, pulsus parvus, debilis, rarus, animi depressiones, moeror et tristitia, dysponoea, ad leucoplegmatiam variasque blennorrhoeas pronitas, to-

tius corporis intumescentia hanc chloroseos speciem significant. Nervorum autem affectiones desunt nisi in decursu posteriori accedunt atque haec morbi species in hydropem atonicum plerumque exit (cf. Canst. l. c.).

Praeterea chlorosin simplicem et complicatam distinguimus. Simplex quidem chlorosis apparet, ubi alii morbi ei se non associant; complicata autem vocatur, si ejus signa cum signis variorum morborum congruunt.

Prognosis.

Augurium in sananda chlorosi plerumque haud malum. Imprimis tamen hisce rebus constituitur: morbi tempore, vehementia symptomatum, constitutione neque minus victu atque vitae conditionibus aegrotae, complicationibus et transitu in alios morbos. Chlorosis igitur per se morbus funestus non est, si aegrotae constitutio alio quodam modo non labefactata est aut morbus non diu perduravit aut causae morbi adhuc removeri possunt. Quae vero si perseverant, uti masturbatio, animi affectus aliaque noxia medicus omnem sanando morbo operam frustra navabit. Nonnunquam etiam morbus recens, qui per paululum tamtummodo temporis perduraverat, sua sponte evanescit, si catamenia regulariter fluere incipiunt atque vitae conditiones aegrotae mutantur in melius, ita ut in morbo removendo salubrem tantum vim habeant. Saepius quoque malum sine ullo remedio cessat, postquam puella ex urbe rus se contulit. Chlorosis autem torpida ad sanguificationem emendandam longiore eget tempore,

dum erethica saepius in majoribus versatur periculis (cf. Canst. l. c. p. 45). Morbus deinde, si post menstrua exorta apparet, pejoris est ominis quam puellarum, quarum menses nondum fluxerunt aut cum eorum moliminibus conjunctus. Hic enim pubertate evoluta plerumque cessat ideoque ejus affectiones quodam modo menstruorum moliminibus adnumerandae sunt. Pessima autem evadit prognosis, si chlorosi morbi secundarii, vitia organica cordis hydrops et phthisis accedunt. Hoc in casu mors rarius prohiberi potest.

Curatio.

A. Curatio prophylactica.

Optimum et certissimum praesidium contra chlorosin quaeritur in conveniente inde a tenerrima jamjam aetate educatione, qua et animi et corporis vires exercentur omnesque stimuli evitantur, qui corporis constitutionem labefacere possunt. Quum igitur menstruorum molimina aliaque pubertatis increscentis signa animadvertuntur puella edocenda est, quantum onania afferat detrimenti. Neque vero quidpiam ad augendum sanguinis fluxum fiat, qui tum parcior esset atque post longius demum tempus rediret. Praeterea quavis ratione organismus ad perfectionem evehatur omniaque quae contrarium efficiunt, removeantur. Morbis autem ante pubertatem qualescunque fuerint exortis accuratissime medendum est, ne corporis impedita evolutione ad chlorosin provocandam praebeatur

ansa. Si tamen jam morbi appropinquantis vestigia apparent, quam maxime prohibeatur, quominus morbus conformetur praecipue apta instituta diaeta.

B. Curatio therapeutica.

a) Curatio diaetetica.

Remedia diaetetica chlorosin quidem recentem neque cum aliis morbis conjunctam saepissime sanant. Primum autem corporis motiones commendes, quibus digestio et sanguificatio bene succedunt. Itaque aegrota vitae sedentariae valedicat atque ambulationes quotidianas sub aëre libero et puro instituat. Plurimum juvabit, regiones montanas perlustrari. Si quidem fieri potest, puella chlorotica ex urbe rus transducatur. Dein animus moerore et tristitia occupatus hilaritate recreari debet. Jam sunt evitandae omnes animi affectus, cogitationes et sermocinationes, quae magnopere libidinem incendunt. Choreae tamen nisi justum transcedunt modum, chlorosi torpida laborantibus haud exigium interdum afferunt utilitatem. Compertum quoque habemus, virgines chloroticas, quarum leucophlegmatica sit constitutio, ex connubio sanas evadere postquam conceperint. Ubi vero amor infelix causa morbi invenitur, desiderio cruciata virgo eo adducatur, ut animum ac mentem aliis in rebus defigat.

Neque brevius neque longius chloroticae dormiant atque pulvino incubantes setis equinis conferto. Praecipue autem nutrimentis bonis neque digestioni noxiis

opus est; puellae igitur chloroticae fruantur cibis nutrientibus, concoctu facilioribus, aromaticis, ex animalium magis quam vegetabilium regno depromptis. Si digestio non est laesa, gelatina quoque lichenis islandici, cornu cervi in usum vocari potest. Etiam potus designetur excitans et roborans, uti cerevisia bene fermentata et lupulo condita aliquoties per diem porrigatur nec raro post coenam vini melioris, uti Burgundici, pauxillum. Theae autem viridis et coffeae arabicae sorbitio spernenda est. Omnino vero in specie chloroseos erethica cibi conditi et potus spirituosi caute adhibeantur; in torpida tamen cerevisia amara, bene fermentata necessaria est.

Vestimentum coelo et aëri convenire oportet. Neque sit calidius, quod cutem reddit mollem atque irritabilem, neque nimis tenue, ut corpus a refrigeratione tueatur, neque angustius, uti thoraculi, ne sanguinis cursus impediatur. Praecipue autem chloroticae caveant, ne pedes refrigerent ob mensium perturbationes saepissime insequentes. Balnea quoque tepida sensim sensimque frigidiora utilia sunt, imprimis tamen, si pro mali conditione herbae aromaticae, sal communis aut martialia, uti ferrum sulphuricum, iis admiscuntur.

b. Curatio pharmaceutica.

In curatione pharmaceutica hisce momentis specialibus satisfaciendum est:

I. sanguinis copia augeatur ejusque mixtio perversa ad normam reducatur;

II. genitalium vitalitas depravata reddatur normalis;

III. symptomatis et complicationibus praecipue torquentibus nec non morbis insequentibus satisfiat aut medendo aut mitigando;

IV. reconvalescentiae maxima adhibeatur animadversio.

Sed ut primum curae objectum absolvatur, partim chyli melior et major copia formetur, partim gangliorum depravatio tollatur necesse est.

Quod quidem ad chylum augendum et emendandum attinet, quam maxime operam impendas in digestionem reddendam bonam totiusque apparatus chylopoëtici in restaurationem et roborationem. Itaque affectiones gastricae et primarum viarum sordes aut status pituitosi et verminosi remediis aptis removendi sunt, rarius tamen emeticis, sed potius aperientibus vel purgantibus. Sin autem emeticum indicatum est, stibio-kali tartaricum cum ipecacuanha praescribas, ut diarrhoeae pronitas prohibeatur. Sin obstructiones hepatis, venae portarum, glandularum mesentericarum affectiones animadvertuntur, extracta resolventia, uti graminis, taraxaci, fumariae, quibuscum primum salia resolventia conjungenda sunt, uti natr. et kali tartaricum, deinde remedia amara et aetherea-oleosa, hb. rutae, rad. calam. aromat., hb. cardui bened., aq. menth. pip., aq. cinnam., aq. valerian. tenent locum. Quibus factis apparatus chylopoëticus satis roboretur, ne in posterum eadem remedia iterum iterumque afferre medicus cagatur: ideoque raborantia secundum affectus ex uno alterove principio in iis praevalente porrigenda sunt, imprimis amara pura et

amara aromatica, uti rad. calami, angelicae, gentianae, cor aurant., absinthium. Contra acida, quae primas vias mo lestant, remedia amara resolventia cum absorbentibus con juncta adhibeas. Ubi digestio exstat imbecillis, quia in testina flatibus expanduntur, amara aromatica, uti exstr absinth., trif. fibrini, rheum cum absorbentibus in usum vocantur. Simul tamen semper diaeta apta instituenda ess

Gangliorum deinde alienationi simulque sanguinis vi tiis imprimis ferro obviam imus. Quod quum fere spe cificum sit in chlorosi sananda, effectus ejus in organis mum paullo accuratius explanandus mihi videtur.

Primum ferrum motum peristalticum concoctionemque reddit validiorem neque tamen tanquam stomachicum, sed cum chylis ecretionem ex nutrimentis sumptis augeat, suc cum quendam lacteum efficiens[53]), qui ad sanguificatio nem bonam nec non ad globulos sanguinis producendos aptam ponit materiem; simul quoque fibrarum muscula rium tractus alimentarii contractionem ferrum adaugere fertur. Deinde autem sanguini plus affert cruoris, qua re majorem corpusculorum sanguineorum copiam comprehen dit ferro adhibito; nec non pulsus invenitur plenior, facies amittit pallorem, transspiratio cutis prospere succedit. Etiam systemati irritabili praeparata ferri salubria sunt. Fibras enim musculorum firmant et vasorum augent vita litatem. Qua propter sanguinis cursus acceleratur, uti v. Swieten (l. c. §. 75) dixit, per ferrum a chloroticis

53) Seifert, Arzneimittellehre, nach des Verfassers Tode herausgegeben und bearbeitet von Baum. Greifsw. 1847, p. 78.

haustum oriri calorem, levem quasi febriculam. Denique membranarum mucosarum secretionibus atonicis ferrum medetur aut eas temperat, id qnod ad mensium quoque aberrationes atonicas spectat.

Praeterea autem hoc remedium tanquam nervino-tonicum praestantissimum sine dubio substantiam propriam nervorum reddit quasi firmorem. Qui tamen effectus non uti in aliis remediis excitantibus primarius est, sed sanguinis aucta vitalitate et apta nutritione corporis nec non medullae nervorum propria nititur (cf. Seifert l. c.).

Quum vero ferrum, ne corpori fiat noxium, digestionem satis firmatam poscat, priusquam in usum veniat, omnia tollenda sunt organismo aliena, quae impediunt, quominus concoqui possit. Imprimis autem alvi obstructio removenda est, quia ipse ferri usus eam saepius adducit indeque magna adveniunt damna. At phthysis pulmonum cum chlorosi complicata, arteriarum vis adaucta, vera congestionum primordia, affectioncs gastro-intestinales, quae ad inflammationem inclinant (cf. Gintrac l. c.) nec non ipsae inflammationes graviorum organorum ferri usum vetant.

In porrigendis ferri praeparatis a mitioribus incipiendum et ad validiora sensim sensimque pergendum est. Quem ad finem primum ammoniacum hydrochloratum ferratum, tinct. ferri pomati, tinct. ferri acetici aetherea, ferrum lacticum in usum veniunt; tum transeundum est ad ferrum pulveratum, ferrum oxydulatum et oxydatum, quae cum remediis amaris aromaticis, uti cum flavedine cort. aurant., rad. colombo conjungenda sunt. Utilissima quoque

aquae minerales reperiuntur ferrum cum acido carboni conjunctum continentes, praecipue si constitutio aegrot imbecillior apparet. Sunt autem imprimis aquae Dribu genses, Pyrmontanae, Egenses, Schwalbachenses, C dowenses, Fachingenses; saepius etiam Freienwald Brückenau, Gleissen, Alexisbad multum praestant. Ba nea quoque factitia ex globulis martialibus seu ferro su phurico parata appellanda sunt. Dosis autem, in qu ferrum praescribatur, digestionis valetudini et irritabil tati aegrotae adaptanda est. Semper vero per aliqu menses adhibeatur necesse est.

Duplice autem ratione medendi gangliorem infirmita obviam imus. Nam in chlorosi erethica remedia quæ vulgo dicuntur roborantia, morbi initio male feruntur prop ter majorem nervorum irritabilitatem. Primum igitur acid mineralia praescribenda sunt, veluti elix. acid. Halleri elix. Mynsichti, acid. sulphuric. dilut. Si vero omni remedia tonica vomitu ejiciuntur, aquae aromaticae, ut aq. cinnam., aq. menth. pip., aq. valerian. cum liq. am moniaci succinici, tinct. castor. utiles sunt. Etiam opi utendum est, teste de Siebold (l. c. §. 442.), si sensibi litas ventriculi permagna apparet, cavendum tamen, ne alvus obstruatur. Quibus remediis praemissis et corpore jam magis roborato ferri praeparata colophonem imponant. Sin autem chlorosis in puellis torpidiore constitutione ap paret, primae viae aut emeticis aut aperientibus purgan dae sunt, quibus systema abdominalium nervorum apte excitetur, obstructiones viscerum eliminentur, stagnationes

in systemate venae portarum dissolvantur. Quo facto remedia tonica cum irritantibus conjuncta commendanda sunt, priusquam ad ferri usum transeatur. Praecipue autem acria et aethereo-oleosa huc pertinent, veluti infusa flor. chamom., hb. meliss., menth. pip., foeniculi, cort. cinnam., gummi ammoniac., galbanum, asa foetida. Etiam abdominis frictiones e linimento volatili, spiritu camphorato, angelicae institui possunt.

At secunda curationis pars tantummodo firmato toto organismo nec non mixtione perversa sanguiuis ferro emendata in conspectum venire potest. Quibus tamen factis genitalia plerumque ad normalem redeunt functionem. Ubi vero fluxus menstruus nondum conspicitur, causae introitum impediunt aut mechanicae aut dynamicae. Illae quidem ope chirurgiae levantur, nisi plane incurabiles sunt, his tamen apta cura medicus occurrat, necesse est. Cautius autem emmenaga porrigat, praecipue cum sanitate plane fere restituta menostasia adhuc perseverat. Primum igitur pediluvia, insessus, hirudines, laxantia, extremitatum inferiorum frictiones totiusque corporis lavationes calidae ordinandae sunt, semper autem eo tantummodo tempore quo menstruatio immineret. Quae tamen si non sufficiunt remedia sic dicta pellentia seu emmenagoga adhibeantur, uti sabina, aloë cum ferro. Menstruatio autem nimia acidis mineralibus et digitali arcenda est, si quidem erethismus praevalet arteriosus, ubi vero nervosus, opio vel mero vel simul cum ipecacuanha; finiat autem curam ferrum sulphuricum.

Quod ad tertium curationis objectum spectat, symptomata quidem sanguificatione ferro emendata plerumque evanescunt, praecipue si ex illa tantummodo originem ducunt. Ubi vero non fit, symptomata peculiaria aeque ac complicationes nec non morbi secundarii, si quidem curam permittunt, secundum peculiarem quam agnoscunt naturam curationem postulant.

Sin autem chlorosis sanata exstat, reconvalescentiae maxima advertatur animadversio, necesse est. Nervorum enim irritatio ac reproductionis debilitas remanere solet, quare tam diaeta solerter moderanda quam roborantia medicamina per longius breviusve tempus post sanitatem porrigenda sunt. Saepissime quoque aegrotae post chlorosin sanatam menstruo fluxu imminente molestiis afficiuntur, imprimis si catameniorum molimina spasmi comitantur. Remedia tantummodo leniora jam exposita plerumque sufficiunt, quae tamen quavis menstruorum periodo repetenda sunt. Praecipue autem ferri usus in dosi minori et intermissis temporis spatiis, etiam si morbus evanuit, continuandus est, quo morbi sanitas magis magisque firmetur.

VITA.

Natus sum ego, Carolus Guilelmus Prange anno MDCCCXXII die XXVIII mensis Junii Kelbrae, Saxoniae provinciae oppidulo, patre Guilelmo Prange, matre Emilia e genti Nuernberg, quos adhuc pio gratoque animo veneror. Fidem confiteor evangelicam. In gymnasio Islebiensi et Martisburgensi iis disciplinis et artibus, quibus aetas juvenilis erudiri solet, operam navavi. Anno MDCCCXLIII in gymnasio Martisburgensi testimonio maturitatis munitus universitatem Halensem petii ibique ab Ill. Bernhardy t. t. Prorectore Magnifico inter cives academicos receptus sum et ab Ill. d'Alton t. t. ordinis gratiosi medicarum Decano numero medicinae studiosorum adscriptus sum. Scholae autem quibus Halae per quinque semestria interfui hae sunt:

Ill. Gerlach, de introductione in philosophiam, de logice et metaphysica.
Ill. Erdmann, de logice et psychologia.
Ill. Hinrichs, de scriptis Goethii et Schilleri.
Ill. Ulrici, de scriptis Shakespeari.
Ill. Germar, de mineralogia.
Ill. Burmeister, de historia rerum naturalium in universo, de zoologia speciali, de entomologia, de historia mammalium naturali, de demonstrationibus zoologicis.
Ill. de Schlectendal, de botanice.
Ill. d'Alton, de anatomia corporis humani, de arte cadavera rite dissecandi, de physiologia.
Ill. Friedlaender, de encyclopaedia et methodologia medica, de materia medica, de arte formulas medicas vite concinnandi.
Ill. Steinberg, de chemia anorganica et organica nec non de pharmacia.
Ill. Schweigger, de physice.
Ill. Kruckenberg, de pathologia et therapia generali et speciali.

Deinde Gryphiam me contuli ibique per quattuor semestria has scholas frequentavi:

Ill. Berndt, de pathologia et therapia speciali, de morbis exanthematicis chronicis, de morbis psychicis, de arte obstetricia, de politia medica. Idem dux mihi fuit in clinico medico et obstetricio.
Ill. Baum, de chirurgia, de opthalmiatrice, de morbis aurium, de fracturis et luxationibus, Ejusque clinico chirurgico et ophthalmiatrico interfui.
Ill. Schultze, de anatomia universali et comparata, de anatomia pathologica, de arte cadavera rite dissecandi.
Beat. Berndt, de historia medicinae, de morbis puerperarum et neonatorum, de medicina forensi, de operationibus obstetriciis in phantomate institutis.
Cel. Laurer, de angiologia, neurologia, splanchnologia, de arte fascias rite alligandi. Ejusdemque praeterea repetitorio anatomice interfui.
Ill. Huenefeld, de elementis pharmacologicis et praeterea exercitationibus analytico-chemicis ab eodem institutis interfui.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias ago quam possum maxima semperque Eeorum memoriam grato animo retinebo.

Sed tentamine et philosophico et medico atque examine rigoroso rite superatis spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi medicinae, chirurgiae artisque obstetriciae honores in me conferantur.

Theses defendendae.

I.

Chlorosis amenorrhoeae generi non tribuenda est.

II.

Icterus non est morbus.

III.

Inflammationem asthenicam esse, confirmo.